

p. 473. sq. Resipuit autem ab his erroribus, & rectius sentientiis partibus sese addixit. Ex quo tempore animum prodidit, orthodoxiae Lutheranae amantissimum. Erenim A. clo l*o* LXI, nomine Ministerii Tripolitani, intercessor fuit iudicati illius, quo in causa Hardenbergeriana concluserant Haberstadii, ut ea ad Academias, sed iam tum infectas, devolveretur, si per ministerium Trip. illa componi non posset. Eodem anno subscripsit pariter Censurae Theologorum Saxoniae inferioris, super Praefatione Repetitae A. C. in Conventu Naumburgico confessa. A. clo l*o* LXVII. d. XX. Sept. Molnae conventum cum Theologis Hamburgensibus, & Luneburgensibus habuit, Notulamque, quam nominabant, Vnionis sancivit. Qua de re vid. Sam. Pomarius, in Dedicat. Comment. in Epist. Iud. §. 25. 26. Mortuus tandem est A. clo l*o* LXXIV. d. IV. April. annum agens LXXX. Scriptum est in eius memoriam epitaphium, quod hodieque Lubcae, in templo S. Iacobi legitur:

Conditur hic, octo qui lustra & quatuor annos

Integer, hacque vigil Pastor in aede fuit

Primus, & intrepido divinum pectori verbum

Moenibus invexit, culta Lubeca, tuis

Vndique cum Latius mortalia pectora Praesul

Multiplici lusit traditione, dolis.

Qui merito cepit fatalia nomina Petri,

Nam velut is Dominum pernegat ore suum,

Post tamen ad mentem meliorem venit, & almas,

Aethereo Christi gramine pavit oves:

Hic quoque sic primis sed falso edoctus in annis

Pro vero docuit Numinia ficta Deo:

Attamen ut sancto Duce se praeeunte Luthero

Agnovit fraudes, Papa profane, tuas.

Invenitque aliam quae dicit ad aethera portam

Per solam & veram, quae patet una fidem.

Cum Petro vitae tunc lugens acta prioris

Innitens sacrae firmiter usque Petrae,

Hac cura, his studiis, tanto pietatis & aeftu,

Promovit sanctum religionis opus,

Cae.